

ne in nomine tuò prophetavimus? &c. Matth. VII, 23. 21. XXIII, 2. seq.

(5) *Aliud est, ore de fœdere Dei pomposè fari atque gloriari, aliud opere fœderatum Dei se testari. Non illud, sed hoc, probatur Domino: Jefa. XXIX, 13. Rom. II, 21.*

#### USUS E VERSU XVII.

(1) *Quaquam per naturam nemo correptionem amet, (omnes enim rectè semper fecisse volumus videri, aliosque carpinus promissimè, Luc. XVIII, 9.) pii tamen impunitatis suæ memores, gaudent, maculâ hætenus ignota à fratre sibi ostensa: Pf. CXXI, 5. cum è diversò carnales oderint castigati onem, tam publicam, Amos. V, 10. quam privatam, parentum superiorum pariumque aliorum. vid. L. de Lege.*

(2) *Verba Dei coram facie nostrâ versari semper debent, tanquam actionum cunctarum regula aut ἑσπερας, nequaquam post tergum rejici. Fit hoc ex supercilioso fastu, impatientia, incredulitate, uno verbo, ex obsecratione Satanica: 2. Cor. IV, 4.*

#### USUS E VERSU XVIII.

(1) *De peccatò per participationem vid. L. de Peccatò.*

(2) *Quibuscum converteris, diligenter dispice, facile enim lucrum allicere potest ad furtivum commercium. v. præc. VII.*

(3) *Impura libidines facile adulterorum admittunt artes, ac pestiferis eorundem trabuntur colloquiis: 1. Cor. XV, 33. Eph. V, 4. vid. præc. VI.*

#### USUS E VERSU XIX.

(1) *De oris linguæque abusu grandi agitur præc. II. V. VIII.*

(2) *De dolò, circumventionibus, falsiloquiò &c. vid. præc. V, & VIII. Regnat bocce vitium per omnes status, ætates, sexum. &c.*

#### USUS E VERSU XX.

(1) *Assidere ad facinus aliquod concludendum majorem exprimit nequitiam, quam si prætereundo vel adstando obiter quid adjeceris aliorum effatis. vid. Psal. I, 1. Examina igitur sessionem quoque propriam: Psalm. CXXXIX, 2.*

(2) *Qui eundem tecum habet patrem, Adamum vel Noachum, qui unam tecum matrem, Evam, hunc tuum quoque noris Fratrem. Conf. Mal. II, 10. De Proximi latitudine vid. Luc. X, 29. seqq.*

(3) *Cavende omnes diffamationes, calumnia, & quicquid proximi collutulat famam: vid. præc. VIII.*

#### USUS E VERSU XXI.

(1) *Hypocrita, si non omnibus enumeratis hucusque*

### PSALMI LI. DISPOSITIO.

#### Pœnitentia Davidica. Per miserere mei tollitur ira Dei.

**P**ost titulum, autorem, tempus, occasionemque scripti exponentem (vers. 1, 2.) traditur

I. Gratia petitiò; verbis modò propriis, modò figuratis: ubi (1) invocatus est *Elohim*, Deus: (2) res petita: generatim (a) *miserere mei*: ratio: *secundum gratiam tuam*: (b) speciatim, condonatio peccatorum; expressa tropicè: (N) *dele prævagationes meas*: ratio: *secundum multitudinem miserationis tuæ*: vers. 3. (2) *ablue me ab iniquitate meâ*: vers. 4. (3) *emunda me à peccatis meis*: ibidem. Rationes subjiciuntur (α) à peccato-

*vitiis laboret, sufficit, unum alterumve familiare ipsi esse, quò iram Dei provocavit.*

(2) *Multi peccant, sed proprie peccata non faciunt, h. e. non peccant proæreticè & habitualiter. vid. L. de peccatò.*

(3) *Connivet Deus ad peccata, atque non puniendo tacet: verum hautquaquam ex injuriâ, insitiâ criminumve vilipendio, sed amore hominum, quos longanimitate ad resipiscendum invitat: Roman. II, 4. Ut taceat quandoque flagellum judicis, non tamen tacet vox legis ac conscientia, intus subinde gravius clamantis.*

(4) *Cogitata hominum, præsertim in sacris, aut propriam spectantibus personam, insigniter sæpè sunt stolidæ, usque adeò, ut demonum fraudes simul subesse, liquido constare queat: 2. Thess. II, 10. 11.*

(5) *Grande scelus, & atrox planè contumelia, obliquè Deum justissimum sibi scelerum sectatori assimilare velle. Quia tu vilipendis libidines, furta, criminationes, &c. num vilipendet quoque Deus? v. L. de Dei Sanctitate & Justitiâ.*

(6) *Tarditatem moræ certò compensabit Deus gravitate panæ. Increpabo te.*

**B** (7) *Quæ tu admisisti clanculum & in angulo, Deus fistet in conspectu & tuo, & aliorum publico.*

#### USUS E VERSU XXII.

(1) *Oblivio Dei frequentissimum hominibus vitium; cum tamen in ipsò vivamus, moveamur & simus: Actor. XVII, 27. O utinam omnipræsentiæ hujus semper essemus memores! vid. præc. I. de timore Dei.*

(2) *Intelligenda sunt probè tum propria crimina ac morbi, tum impendentia supplicia, tum Dei longanimis clementissimique beneficia tum salutis adhuc recuperanda oblata media.*

(3) *Abripiuntur plurimi inopinato per mortem ad judicium. O homo contumax & ingratus, quis te nunc eripiet? quis tempus gratiæ, amissum semel, reducet? Luc. XI, 20. XIX, 42.*

#### USUS E VERSU XXIII.

(1) *De sacrificio laudis vid. vers. 14.*

(2) *De Honore Dei, liberatoris, vers. 14.*

(3) *Via ad regnum, ostensa semel, insistendum firmiter: Matth. VII, 13.*

**C** (4) *Salus à nemine ostendi vel conferri nobis potest, quàm à solo Deo. Salvabit hic omnes tempestivè evigilantes, atque à peccatis resurgentes: Ephes. V, 14. salvabit a malis tam hujus, quàm futuræ vitæ, per ac propter Christum. Amen!*

*rum agnitione: ipsemet horreo, non excuso, non extenuo, non occulto; vers. 5. (β) à feriâ confessione ac deprecatione: peccavi tibi soli: vers. 6. malum admisi ego in conspectu tuò: ut, etiamsi damnes me, non facies mihi injuriam, sed permanes justus: ibid. imò ego pravus sum corruptusque inde à primâ meâ conceptione: vers. 7. (γ) doce me occultam sapientiam, vers. 8. ratio: quia amas veram cordis munditiem: ibidem. (δ) emunda me: hyssopò, ut fiam mundus: vers. 9. (ε) ablue me, ut præ nive candeam: ibid. (ζ) exhilara rursus me concussus: vers. 10. (η) Ne intuearis porro*